HAGE

Hage

De Agentibus in Rebus apud Romanos

Voigt

Viro amplissimo doctissimoque

Prof. Rect. S. N. Bloch

praeceptori dilectissimo

J. Hag[illegible]

DE AGENTIBUS IN REBUS APUD ROMANOS.

PARTICULA PRIOR,

QUAM

PRO STIPENDIO BORRICHIANO CONSCRIPTAM

PUBLICE LOCO SOLITO DIE M. DEC.

HORA VIta DEFENDET

JOHANNES DAM HAGE,

CAND. THEOL.

HAFNIÆ MDCCCXXV.

TYPIS EXCUD. FABRITIUS TENGNAGEL.

exigeret, possent." Tabellarii vero illi, qui hoc loco commemorantur, a latinis scriptoribus post Augusti tempora vulgo *frumentarii*, postea vero *veredarii s. agentes in rebus* vocantur; a græcis vero γραμματηφόροι, ἀγγελιαφόροι, ὠτακȣσταὶ, interdum et φρȣμεντάριοι. Incerta est causa hujus nominis. Fuerunt in legionibus romanis, qui ad annonam militarem procurandam et transvehendam emitterentur; qui quum frumentum ubique conquirerent, omnia secreta rimandi facile inde occasionem arripere potuerunt. Jam vero, quum Nostri non solum tabellarii, sed etiam exploratoris munere fungerentur, nomen frumentariorum inde accipere potuerunt, sicut græci, neglecla vi verbi, sycophantam omnino eum vocarunt, qui calumniando aliis molestias crearet. Cf. Salmasium aliosque ad Spart. Hadr. 11.

Horum igitur fuit litteras et mandata imperatoris in provincias convehere. Ita Capitol. in Max. et Balbo c. 12. "Scriptum est ad omnes provincias, missis frumentariis." Cf. et Dionem ed. Reim. p. 1312.

Quum provincias obeuntes multa explorare possent, mandatum etiam eis fuit, ut, quæcunque ibi agi viderent, principi nuntiarent. Quod etiam sub Augusto ab iis factum esse, et verisimile est, et confirmatur loco Dionis p. 689 ed. Reim. — Scriptores vero ævi aug. eos sæpe commemorant. Ita Spart. Hadr. 11: "erat," inquit, "non solum domus suæ curiosus, sed etiam

amicorum, ita ut per frumentarios omnia exploraret." Pollio in Claudio: "cum nunciatum esset G. per frumentarios." Aur. Victor [2]) frumentarios dicit institutos ad explorandum annunciandumque, qui forte motus in provinciis existerent. Etiam Capitolinus [3]) idem de iis tradit.

Mittebantur etiam nonnunquam ad reos producendos et exhibendos. Ita Eusebius [4]) narrat, frumentarium ad Dionysium episcopum investigandum missum fuisse, quum persecutionis edictum a Decio esset promulgatum. Cyprianus ep. ult.: "audivi, "inquit," frumentarios missos esse, qui me Uticam perducerent." Immo ad cædes faciendas eos interdum fuisse adhibitos ex Ælio Lampridio [5]) discimus.

Quum, quæ de frumentariis allata sunt, etiam de *speculatoribus* fere valeant, de his pauca dicenda. Speculator et explorator initio idem significasse videtur; Cæsar [6]) enim et Livius [7]) promiscue utroque verbo utuntur; Livius vero 31, 24 comparat hoc genus speculatorum cum græcorum *hemerodromis*, haud dubie, quia celeriter iter conficerent. Non absona vero est Turnebi [8]) opinio, Livium sc. *ἡμεροσκόπες* dicere voluisse, quos Æneas

---

2) de Cæsar. c. 39. 3) in Macrino c. 12. 4) Hist. eccl. 6, 40. 5) in Commodo c. 4. 6) ut bell. Gall. 2, 11. 7) 22, 32. 40, 7. cf. Spanheim de usu et præst. num. 2, 233 sqq. 8) advers. 27, 7.

Tacticus ad speculandum in loca edita mitti narret, eosque pernicitate pedum insignes fuisse. Singularem eorum fuisse cohortem in militia romana e nummo quodam Antonii triumviri docet Spanheim in l. c., et Lipsius ad Tac. 1, 24 ex inscriptionibus nonnullis.

Inprimis vero satellites imperatorum ita vocantur, quod ex Svetonio [8]), Tacito [9]), aliis patet. Legitur quidem plerumque *spiculatores*, sed *e* scribendum esse dudum viri docti observarunt.

Interdum etiam ad mandata litterasque imperatorum perferendas eos usurpatos fuisse docet Sveton. [10]). "Litteras," inquit, "Romam misit, monitis speculatoribus" — etc. Carnifices quoque militares speculatores vocati, Seneca de benef. 3, 25. de ira 1, 16. Marc. Euag. 6, 27.

Quamvis igitur eadem fere munera, quæ frumentarii, obirent, satellites tamen inprimis sub imperatoribus fuisse videntur, ut frumentarii exploratores et tabellarii. Diversos eos fuisse docet Salmasius ad Spart. Hadr. 11, allato Dionis loco, ubi Adventus antea dicitur militasse inter speculatores (διόπταις και ερευνηταῖς), sed deinde inter frumentarios (γραμματηφόρυς) relatus. Affert etiam inscriptionem, unde idem patet.

---

8) Claud. 35. Galba 18. Otho 5. 9) Hist. 2, 11. cf. et 2, 33. 10) Cal. 44.

Ut ad frumentarios redeam, Aur. Victor in. l. c. eos a Diocletiano sublatos esse narrat. Nomine vero mutato, brevi post instaurati sunt; sub Constantino enim M. mentio [11]) fit *curiosi*, qui missus esset ad crimina ea examinanda, quæ Athanasio intenderentur. Exstat præterea [12]) lex Const. ipsius, ubi memoriales et palatinos ad *curas agendas* eligi jubet. *Curam vero agere* munus fuit curiosi seu agentis in rebus, quos in munera frumentariorum successisse testatur Hieronymus ad Obad. v. 18: "quos," inquit, "nunc agentes in rebus vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant." Idem Aur. Victor [13]): "frumentariorum — quorum nunc agentes iu rebus simillimi sunt."

A Constantini inde temporibus agentes in r. militabant in palatio, s. in scholam palatinam relati erant, quæ magistro officiorum paruit, ejusque officium constituit. Pleræque enim leges, quæ agentes in r. spectant, ad eum emissæ sunt; in notitia etiam imperii hæc schola inter eas nominatur, quibus magister præesset [14]). In quinque ordines relati erant, quorum vilissimus *equitum* fuit, numero vero cæteros superans, quum ex 450 constaret. Exceperunt eos 300 *circitores*, 250 *biarchi*, 200 *centenarii* et

---

11) Athanas. Apol. 2, 791 & 4. ed. Lipsiæ. 12) Cod. Th. de priv. eorum, qui in Pal. mil. l. 2. 13) de Cæs. 39. 14) Græv. thes. 7, 1498 & 1503.

48 *ducenarii* [15]). Paulo minor numerus commemoratur in cod. Theod. h. tit. l. 23. Seriori vero tempore multo major fuit. *Tirones* vero dicti, qui 5 fere annos studium suum probare debebant, antequam in scholam agentium in r. reciperentur; quod ideo institutum fuit, ne quis, nisi probatis moribus, inter agentes referretur. Quum enim quæstuosa esset militia (de quo infra), multi veluti ad asylum quoddam ad scholam agentium in r. convolarunt, qui improbis moribus et obscuris natalibus æque insignes erant, ut loquitur fere Theod. jun. l. 18 de ag. in r. — Ideo Theod. M. (l. 4) vetuit, "ne quis, quamvis suffragio principis subnixus, in scholam agentium in r. admitteretur, nisi majoris scholæ partis testimonio probatus fuisset;" toties probandos eos jubet, quoties ad altiorem militiæ gradum adscenderent. Etiam aliis legibus aditum ad hanc scholam satis difficilem fecit Theod., ut l. 3; sed Arcadius (l. 8) nonnullis ex magistratibus celsioribus jus illud tribuit, ut, quos suffragiis suis juvassent, inter agentes recipi possent. Magister vero off. plerumque jus habuit agentes in r. recipiendi et removendi; etsi enim principes interdum hoc jus sibi vindicarunt [16]), mox tamen magistro off. redditum est [17]). Judicandi etiam

---

[15]) Cod. Just. h. tit. [16]) Ita Honorius lege 11ma. Theod. jun. l. 17ma. [17]) vide ll. 18 & 23 de ag. in r.

potestatem in eos habuit magister off., quod tamen, ut mox videbimus, non semper valebat.

Quod attinet ad nomina diversorum ordinum, quæ supra attuli, desumta sunt ea ex armata militia, ut recte observat Gothofredus ad 3 l. de ag. in r. — Circitores dicebantur, qui vigilias circumirent; biarchi qui commeatum procurarent; centen. et ducenarii, qui huic militum numero præessent [18]). Sed in militia palatina modo dignitatis fuerunt nomina, quæ frequenter etiam in officio Præf. præt. occurrunt [19]). De centenariis vero et ducen. pauca dicenda sunt, quum leges nonnullæ in cod. Theod., in quibus mentio eorum fit, ad agentes in rebus perperam referri videantur. Occurrunt inter apparitores præf. præt. [20]); in omnibus fere scriniis comitis largitionum sacrarum Notitia imperii eos affert [21]), ut et cod. Theod. de palat. s. l. et r. p. l. 7ma, et 8 & 9ma, ubi diserte dicitur: "de mittendariis palatinis annui singuli ex ducenariis, terni ex centenariis cingulo liberentur." Mittendarii vero inter apparitores comitis s. larg. erant, cui et leges illæ, quas attuli, inscriptæ sunt. Multis

---

[18]) Veget. de re milit. 2, 8. 3, 8. Hieron. op. 2, 115 ed. Francof. [19]) Cod. Just. de off. præf. præt. [20]) l. cit. et Not. imp. Græv. th. 1386. [21]) p. 1539. cf. Gothofred. ad Cod. th. de exactionibus l. 1, ad l. 7 et 9 de agent. in r.

locis [22]) etiam *ducenæ* et *centenæ* dignitatis fit mentio, quæ media inter perfectissimatum et egregiatum fuit, quæque et aliis, de republica bene meritis viris, præmii loco tributa est, quum non vanus esset titulus, sed aditum ad magistratus altiores pararet. De titulis omnino conferendus Pancirollius ad Notit. imp. [23])

Ducenarii, militiæ tempore exacto, principatus honorem consecuti sunt, seu principes agentium in r. facti. Qui tamen ob infirmam valetudinem labores militiæ ægre tolerarent, honorarium, ut dicitur, principatum adepti sunt, sed nonnisi post XX vel XXV annorum militiam [24]). Dubitatur, num alii fuerint principes agentium in r., alii princ. officiorum ex ducenariis scholæ nostræ desumti, quod apud multos magistratus factum est. Eosdem fuisse, patere mihi videtur e l. 3tia de princ. ag. in r. "agentes in r. post palmam laboris emeriti principatus honore muneramus; atque ideo officiales nonnisi principe autore (ad munera obeunda) mittantur;" quod diserte de principe officii ex agentibus in r. dicitur. *Fungi* et *gerere* principatum interdum etiam dicitur, quod munera quædam, non merum titulum spectare videtur. Constat quoque, quænam

---

22) Cod. Th. de cohort. l. 3., de cæsarianis l. 1., de murilegulis l. 1. 23) p. 1342-50. 24) l. 19 de ag. in r. et l. 8 de princ. ag. in r.

principis officii, non vero quænam principis agentium in r. fuerint munera. Si igitur diversi fuerint, principes ag. in r. eos fuisse puto, qui principatus honorem quidem consecuti essent, sed nondum ad offiicia regenda pervenissent. Gothofredus in hac re non satis sibi constat[25]; Pancirollius vero[26] dicit, centenarios et ducenarios in provincias missos fuisse, ut magistratuum officiis præessent; XIV vero in orientis, VI in occidentis provincias exiisse. Ad eos autem totius officii cura pertinebat; nemo officialium, nisi principe autore, in munus aliquod mitti poterat[27]; unde scilicet commoda quædam ad principes redundarunt. Cautum est[28], ne patroni causas, nescio principe, introducerent (actionem postularent). Reos ab iis citari jubet Arcadius[29]; omnesque litigatores et patronos causarum, in secretarium judicis vel senatum admitti cupientes eorum fuit introducere, ut recte Gothof. observat. Ex his aliisque eorum muneribus multa lucra ad eos redundarunt[30], quod et lege 6ta[31]

---

25) in comment. ad titulos laudatos. 26) p. 1504. cf. Nov. Valent. IIItii inter Theod. 37mam. 27) l. 1 & 4 de princ. ag. in r. cf. Nov. Valent. jam cit. 28) l. 4. eod. tit. 29) l. 5. cf. Symm. epist. 10, 36. 30) l. 2. de lucris offic. et Const. M. l. de offic. rectoris prov. cf. omnino de principibus Gothof. ad tit. de cohortal., inpr. l. 3. et 10. 31) de princ. ag. in r.

diserte dicitur: "ut saltem commodis adjuti de principatu discedant."

In officio magistri off. princeps non fuit, sed ejus loco *adjutor*, qui cum duobus *subadjuvis* ex ducenariis etiam ag. in r. desumti sunt. De adjutore vero dicit Constant. M.[32]) "in quo totius scholæ (sc. agentium in r.) et magistri securitas constituta est. Vices igitur gerebat magistri off. absentis vel ægrotantis; eo autore agentes in r. in provincias mittebantur; leges magistro off. in memoriam revocare debuit[33]) etc. Æquantur honore principibus ag. in r.[34]).

Satis magna autem dignitate, magnisque beneficiis gaudebant principes illi ag. in r. Theodosius M. inter *allectos* consulares eos retulit, quod quum parum observatum fuisse videatur, iterum inculcat[35]): "sit senator et merito consularibus adgregetur; sed ut eum functio nulla teneat, collatio nulla defraudet". *Allecti* enim[36]) dicebantur, qui beneficio principis ita in curiam erant admissi, ut ab oneribus senatoriis essent immunes, quæ quam gravia fuerint, inde patet quod multi ob hæc onera dignitati senatoriæ renunciarent. Arcadius[37]) consularem dignitatem iis confert, et Honorius[38]) proconsularem, quæ

---

32) Cod. Just. de off. mag. off. 33) l. 3 de ag. in r. Cod. Th. 34) l. 20 et 21 eod. tit. 35) l. 5 et 6 h. t. 36) l. 10 de prætor. et l. ult. de senat. 37) l. 10 de ag. in r. 38) l. 7. de princ. ag. in r.

major fuit; Proconsules enim fuere spectabiles. Idem eos a tironum collatione[39]) liberavit, si post principatum nullo alio munere functi essent. Sæpe enim post principatum provincias gubernarunt[40]).

Hæc nonnisi obiter perstringere potui, ad munera scilicet agentium in r., et scelera, quibus infames fuerunt, exponenda festinans.

Dicebantur curas agere[41]), in actu reipublicæ versari[42]), unde et *curagendarii* vocati[43]) *Curiosi* vero imprimis illi ex agentibus in r. appellati videntur, qui ad id, quod in provinciis ageretur, explorandum, ad reos indagandos, cursumque publicum regendum in provincias mittebantur. Quamvis frumentariis a veteribus comparantur, in nonnullis tamen ab iis diversi erant, quare scriptorum hujus ævi præcipua de iis effata afferenda putavi.

Ad litteras mandataque principis et magistratuum ultro citroque ferenda eos adhibitos fuisse, multa docent loca cod. Theod.[44]), Symmachi[45]), Libanii[46]) aliorumque. Crebris missionibus parere dicuntur[47]); Symmachus in locis

---

39) l. 13 de ag. in r. Cod. Th. 40) l. 2 de princ. ag. in r. 41) de curios 2. 4.5. et l. un. Ne Præfectianus etc. 42) de ag. in r. l. 4. 43) de curios l. 1. 44) in tit. huc spectantibus. et de execut. l. 7. 45) epist. 2, 62. 6, 36. 7, 59. 10, 37. 46) orat. fun. in nec. Jul. 1, 569 ed. Reiske, quæ editio semper a me citatur. etiam 3, 438. 47) de ag. in r. l. 4.

citatis agentes in r. commemorat, quibus litteras tradiderit perferendas; Libanius in oratione illa funebri l. c. Julianum narrat, schola agentium in r. sublata, propriis tabellariis usum fuisse. Celerrime iter confecerunt, mutatis equis, qui certis intervallis dispositi erant. Laudatur in hanc rem a Gothofredo[48]) vetus gloss., ubi veredarii (agentes in r.) tantopere festinare dicuntur, ut cibum non capiant, nisi dum equis vehantur; eosque pinnas capiti infixas habere ad celeritatem significandum. Inde et locus Plutarchi[49]), ubi *πτεροφόροι*, inquit, *συνεχῶς ἐφοιτῶν κ. τ. λ.* explicandus est. Loquitur enim vel de frumentariis, vel de speculatoribus. Citatur et locus Aristidis a Casaubono ad Svetonium [50]), in quo imperatorem dicit facile per epistolas omnem terrarum orbem regere posse; vix enim scriptas esse, quum jam adsint. — Nuntii etiam victoriarum, designationis consulum etc. fuisse videntur*).

Mittebantur etiam in provincias, ut attenti essent ad omnia, quæ ibi agerentur[51]), tumultus nunciarent[52]), inimicos principis indagarent et deferrent[53]). Quo munere quum fungerentur, plerumque curiosi appellati, ut antea dixi; quod nomen a provincialibus iis inditum fuisse

[48]) de curios. l. 1. in comm. [49]) Otho 4. [50]) ed. Wolf. 3, 295 cf. ibidem laud. Juv. 4, 149. [51]) de curios. l. 4. [52]) Aur. Victor de Cæs. 39. [53]) Lib. 1, 567-70. *) 1, 429.

testatur lex 1ma de curios. cod. Theod.; n
absurde quidem, quum a Romanis curios
(πολυπράγμων) is diceretur, qui male sedul
aliorum negotia observaret et curaret.
Hadrianus [54]) domus suæ curiosus dicitur;
Svetonio [55]) curiosus et speculator junguntu
Hinc intelligitur, cur a Libanio πευθῆνε
φυλάκες, οφθαλμοὶ τῶν βασιλέων [56]) dicant
Quare a Constantio [57]) jussi "nil principis notit
ex his, quæ in republica agi viderent, subt
here." Sedulo imprimis crimina in princip
commissa investigare studebant, quæ cupi
lucri causa, ad aulam deferebant. Insignis
hanc rem est locus Amm. Marcellini [58]), ubi m
tio fit Gaudentii, agentis in. r. qui, quæ in
convivium a rectore Pannoniæ 2dæ institut
parum caute de imperatore jactata essent,
Constantium detulisse dicitur. De quibus plu
quum de sceleribus eorum dicam. — Sed n
solum ad hæc, verum etiam ad alia quæcun
crimina indaganda et reos protrahendos emitteb
tur. Quód patet ex l. 1ma de cur., ubi juben
crimina judicibus indicare. Ad hanc legen
Gothofredo etiam Svidæ affertur locus ex
Chrysostomi: ἑλκόμενος ὑπὸ τȣ̃ κυριόσσȣ

---

[54]) Spart. c. 11. [55]) Aug. 27. [56]) l. cit. [57])
de cur. [58]) 15, 3, 8 cf. 16, 8, 3 et 22, 7, 5.

πόλεως. Huc etiam facit Libanii jam sæpuis l. locus[59]), imprimis vero hæc verba: ὅυτοι τοίνυν οἱ βασιλέως ὀφθαλμοὶ και φάσκοντες ἅπαντας ἐις φῶς ἄγειν και ποιεῖν τὃς πονηρὃς μετρίὃς τῷ μὴ ἐξεῖναι λανθάνειν κ. τ. λ. Inde et locum Tertulliani[60]) recte illustrat Gothofredus[61]). "Nescio", inquit T., "dolendum an erubescendum sit, quum in matricibus beneficiariorum et curiosorum inter lenones, fures etc. Christiani quoque vectigales continentur." Curiosorum enim, ut vidimus, fuit reos protrahere; christiani igitur, vexationis tempore deprehensi, non aliter ac abjectissimi quique pecuniam solvebant, ne a curiosis rei agerentur.

Imprimis vero cursus publici cura eis agenda fuit.[62]) Cavere scilicet debebant, ne quis citra evectionem[63]) cursum publicum usurparet, nec plus sibi concesso rogaret. Sæpe enim equos pro mulis, rhedas pro birotis vel clabulis postularunt, et sic porro. Inde cursus publici præpositi vocantur, sed plane diversi ab iis erant, qui in certis mansionibus degentes currentibus necessaria jumenta et currus procurabant, evectiones inspi-

---

59) 1, 567 sqq. 60) de fuga in persec. c. 13. 61) l. 1. de curiosis in comm. 62) tit. de curios. et de cursu p. 63) evectio fuit diploma a principe, præf. præf., vel mag. offic. iis datum, quibus cursum publicum usurpandi venia tribueretur; vide Parat. ad curs. publ. in cod. Th.

ciebant etc., qui mancipes[64]) in codice Th. nominantur. Curiosi vero per provincias discurrebant, ut mancipes observarent et omnino caverent, ne quis in hac re abusus fieret. Nec multis ad hoc munus obeundum opus fuit; Constantius duos, Arcadius modo singulos in singulas provincias mitti vult[65]). Memoratur vero in Not. imp.[66]) curiosus quidam *præsentalis*, ita dictus, quod Constantinopoli sedem fixam habuit. Ad aulam enim quum plurimi commearent, ibi imprimis occasio ei fuit curam publici cursus agendi.

Decima de curiosis lege ab Honorio mandatum est Synesio, comiti s. largitionum[67]), ut curiosos idoneos per diversas provincias, portus littora aliaque loca emitteret, qui viderent, ne quis merces illicitas, velut purpuram, exportaret, venderet vel usurparet. Hanc enim legis sententiam esse docent verba adjecta: "ad quod nos ablatarum specierum movit occasio." Species vero imper. h. l. purpura est, quod collata lege ult. de murilegulis ostendit Gothofredus. Quam enixe vero imperatores purpuræ usum sibi solis vindicare studuerint, lex illa de mur. abunde testatur[68]); immo mortis poena purpuram usur-

[64]) parat. ad curs. p. et l. 15 in comm. [65]) l. 2 & 8 de cur. [66]) p. 1512. [67]) Hanc enim Synesii fuisse dignitatem quum ex aliis, tum ex lege ult. de muril. docet Gothofred. [68]) "purpuræ", inquit Theodosius jun., "nundinas innumeris constitutionibus prohibuimus.

pantibus proposita erat[69]. Uberrima hæc fuit delatorum materia, quod imprimis ex loco Amm. Marcell. 14, 7 & 9 patet, ubi textores et fucatores quosdam purpuræ crudelissime tortos fuisse narrat, quod tunicam pectoralem ex purpura diacono cuidam Christiano eos confecisse, ad imperatorem esset delatum.

Curiosos interdum ad limites observandos, impetu hostili ingruente, delegatos fuisse, patere videtur e lege ult. de cur., collata cum ll. de littorum et itinerum custodia. Priori enim lege, ut Dalmatia exeant, curiosis imperat Honorius, quum fraudibus suis ita omnia turbassent, ut, qui bellum timentes insulas petiissent, eas ob curiosorum oppressiones relinquerent. Dalmatia vero hoc tempore[70]) misere vexabatur, quum barbari ab oriente Italiam petentes hac via uterentur. Quare multi curiosi ad hostes observandos hoc tempore illuc missi videntur.

Cætera quæ de iis dicenda habeo, proximo, si licuerit, anno, vobiscum, lectores benevoli, communicabo.

---

69) eadem lege dicitur, non sine crimine læsæ majestatis purpuram fucari compertum esse. 70) Anno 415 lex lata est.

DE AGENTIBUS IN REBUS APUD ROMANOS.

PARTICULA SECUNDA,

QUAM

PRO STIPENDIO MEDICEO CONSCRIPTAM
PUBLICE LOCO SOLITO DIE 8 M. DEC.
HORA 12 DEFENDET

JOHANNES DAM HAGE,
CAND. THEOL.

HAFNIÆ MDCCCXXVI.

TYPIS EXCUD. FABRITIUS TENGNAGEL.

Cum quæ de hac re scribere constitueram jam absoluta essent, iterum angustis hujus dissertationis limitibus impeditus sum, quo minus hac vice omnia ederem; quare quæ restant in proximum annum rejicere coactus sum.

Substitimus superiori anno in muneribus agentium in rebus commemorandis; jam quæ restant absolvemus.

Quæritur, num agentes in r. in tributis quoque exigendis occupati fuerint, quod ut facilius dijudicetur, pauca quædam de re tributaria, qualis post Constantinum invaluit, dicemus, omissis, quæ minus ad argumentum nostrum illustrandum faciunt.

Quæ Diocletianus de novis vectigalibus constituendis excogitarat, Galerius exsecutus est, in systematis vero formam redegit Constantinus M. Indictio et chrysargyrum inter nova vectigalia præcipua erant; illud fundorum possessoribus, hoc vero mercatoribus, operariis, artificibus aliisque pendendum erat (Grund- og Næringsskat). Imperator vero quotannis, quantum ad sumtus sustinendos sufficeret, edicto ad præf. præt. edito, erogari jussit, qui deinde rectoribus provinciarum, quantum singulæ quæque ad hanc summam efficiendam conferre deberent,

significarunt. Quid vero singulis civibus pendendum esset, ex tabulis conficiebatur, in quibus omnes fundi totius provinciæ consignati erant. *Tabularii* vero, qui eas tractabant, breves *exactoribus* tradebant, quibus fundus summaque de eo exigenda continebantur. Acceptam pecuniam *susceptores præfectis thesaurorum* tradebant; species vero (ɔ: præstationes, ut dicitur, naturales) tabulariorum cura in loca necessaria transvectæ. Exactoris vero munere multi functi sunt; plerique ex officio (i. e. apparitoribus) rectoris provinciæ desumti; interdum quoque apparitores præf. præt., palatini sacrarum et priv. largitionum, aliique palatini, inter quos agentes nostri in rebus [1]). Cavendum vero, ne leges nonnullæ, quibus ducenarii et centenarii tanquam tributorum exactores memorantur, ad agentium in r. scholam referantur. Ita lex Constantini M. vetat [2], "ne ducenarii, centenarii et sexagenarii ante debitores (sc. tributi) conveniant, quam a tabulario breves debitorum acceperint." Idem aliâ quoque lege [3] provinciales hortatur, ut si a ducenariis, centenariis seu advocatis fisci læsos sese putent, ju-

---

[1] Cf. Cod. Theod. passim, inprimis vero titulos de tabulariis, de exactionibus, de exsecut. et exact., de annona et tributis, et præterea, quæ Manso in vita Constantini p. 181 sqq. attulit. [2] L. 1. de exact. [3] l. 1 de concussionibus advoc.

dices adeant. Loquitur vero de exactorum injuriis. Ducenarios ab exactione arceri jubet Valentinianus a. 364[4]. Sed, ut suprà vidimus, ducenarii et centenarii non solum in hac schola occurrunt, sed etiam inter apparitores comitis s. largit., et præf. præt., in cujus officio etiam sexagenarii erant, qui inter agentes in r. ne nominantur quidem. Ad illos potius leges nostræ referendæ videntur, quum constet, eos rei vectigalis causa sæpius in provincias missos fuisse[5]. Sunt tamen aliæ leges, quæ de exactione tributorum agunt, ubi agentium in r. diserte fit mentio. Lex est Honorii[6]: "quicunque e palatio nostro cujuslibet tituli ad provinciam commearit compulsor, exactor, admonitor, portitorve præcepti, *agens in r.*, palatinus vel apparitor illustrium potestatum — " ect. Aliâ vero a Theodosio jun. lata[7] hæc occurrunt: "neque *agens in r.*, neque sacrarum privatarum vel largitionum palatina officia ex quacunque causa, ex quocunque titulo fiscalis debiti, quum ad provincias mittuntur, possessores per se audeant adire, sed rectores provinciarum frequenter adeundo commoneant, eorumque officiis incumbant."

---

[4] l. 9 de exaction. [5] vide Paratitl. Gothofr. ad cod. Theod. de exact., de exsecut. et exact. et de susceptor. [6] l. 7 de exsecut. de exact. [7] l. 17 de exaction.

Quibus legibus repugnare videntur aliæ, quibus immunitas a tributorum exactione conceditur agentibus in r., palatinis aliisque [8]. Quæ tamen bene inter se conciliari possunt; etsi enim munus eorum proprie non erat tributa exigere, interdum tamen in provincias missi sunt ad exactionem accelerandam, interdum etiam ad reliquias tributorum suscipiendas [9]. Quod et de palatinis s. et p. largit. fere valet, qui tamen frequentius hoc munus obire solebant [10]; nonnulli etiam in provinciis tributorum causa degebant.

Cum quæ de hoc argumento disputavimus demonstrent, munus agentium in r. id inprimis fuisse, ut mandata principum in provincias perferrent; sponte apparet, eos equos publicos usurpandi jus habuisse. Cursus enim publicus, ut dicitur, ideo inprimis institutus est, ut quam celerrime nuntii ad imperatores ab omnibus regni partibus perferrentur [11]. Postea tamen multi quoque magistratus equis publicis utebantur, veniâ a magistro offic. vel præf. præt.

---

[8] a Constant. M. l. 3tia et 5ta, et a Valentin. l. 6ta de privil. eorum, qui in s. P. militant. [9] cf. l. 17 de exact. et Majoriani nov. 4tam (vol. 6to cod. Theod.); etsi enim hoc loco agentium in r. non diserte fit mentio, tamen palatini aliique memorantur, quibuscum agentes in r. junctim occurrere solent. [10] l. 18 de exact. [11] Sveton. vita Aug. 49.

concessa[12]. Agentibus vero in r., qui ad milites movendos delegarentur, Constantius[13] *paraveredis* uti permisit, etsi Constantinus M. solis præf. præt. hoc jus concesserat. Paraveredi vero seu agminales equi ii fuisse videntur, qui in viis militaribus, ubi cursus publicus non esset, exigerentur[14]; diversi igitur a parhippis, qui, quum avertam seu sarcinam veherent, etiam avertarii dicti[15]. Aliâ vero lege[16] Constantius agentibus in r. vetat euectionem a præf. præt. dari, jubetque eos ea contentos esse, quæ iis a magistro offic. tribuatur. Secundum legem Theodosii M.[17] curiosis in munere obeundo nonnisi duobus veredis uti licuit. Veredi equi sunt celerrimi, unde, qui ad nuntios perferendos iis utebantur, veredarii dicti sunt.

Multis sceleribus frumentarios, quique in eorum locum substituti sunt, agentes in r., infames fuisse, jam ex iis, quæ exposita sunt, divinari potest. Quum enim omnia explorare et imperatoribus nuntiare tenerentur, funesti delatores sponte exstiterunt. Quod hominum genus, quam perniciosum imperio Romano fuerit, nemo in scriptoribus hujus ævi vel mediocriter versatus ignorat. Nec aliter accidere potuit,

---

12 vide Paratitl. ad cursum publicum. cod. Theod. 13 l. 7 de cursu p. 14 vide comt. Gothofredi et notas huic subjectas ad l. 3 de cursu p. 15 l. 14 eod. tit. 16 l. 9 eod. tit. 17 l. 6 de curiosis.

quum principes ignavi, crudeles, ideoque "ad omnem suspicionem", ut habet A. Marcellinus, "aures patulas habentes", cupide quæcunque delata essent arriperent, immo spem salutis in ejusmodi hominibus positam putarent. Ad licentiam vero agentium in r., vel potius curiosorum in hac re augendam *accusandi* eorum ratio etiam contulisse videtur. Solennis vero accusatio alia alio tempore fuit, quod cum alia, tum lex[18] a Constantino M. lata docet, qua quum suo tempore "inscriptionis mos" esset abrogatus, et accusatio "professione criminis ore"[19] fieret, inscriptionis morem, ut temeritatem accusatorum coerceret, iterum usurpari jussit. Per *inscriptionem* vero accusabat, qui, re exposita et argumentis prolatis, nomen suum subscriberet, et ita *poenæ sponsione* certaret, ut, quæ poena reo convicto impenderet, eandem ipse, nisi causam suam probasset, subiret[20]. Immo in causis gravioribus institutum ab Honorio, ut et reus et accusator, custodia, libera tamen, donec causa

---

18 l. 5 de accusat. et inscript. 19 Verba legis hæc sunt: "quodam tempore admissum est, ut non subscriptio, sed professio criminis uno sermone ex ore fugiens tam accusatorem quam reum de patria, de liberis, de fortuna, de vita denique dimicare cogeret"; unde res optime intelligitur. 20 Vide l. 11 et l. ult. de accus. et inscr., Symmachi epist. X, ult. et Gothofr. ad citat. legem 5tam.

dijudicata esset, tenerentur[21]. Hanc severiorem conditionem curiosis, quamdiu reos investigare *tenerentur*, non propositam fuisse puto, his inprimis argumentis commotus. Prima de curiosis lege Constantius præter alia decrevit: "Stationarii et curiosi — crimina judicibus nuntianda meminerint, et sibi necessitatem probationis incumbere, non citra periculum sui, si innocentibus eos calumnias nexuisse constiterit". Stationarii erant homines certis locis (stationibus) dispositi ad latrones aliosque maleficos indagandos et deferendos[22]. Dicuntur illi reos deferre *notariis* s. *notoriis* (sc. epistolis), quibus nomen et crimen rei, quem deprehensum ad judices mittebant, significarunt[23]. Iidem vero alibi di-

---

21 eod. tit. lex ult. 22 Alii alio tempore hoc munere fungebantur; memoriales, palatini, inprimis vero apparitores præf. præt. et vicarii, quibus omnibus (lege 2da de curios.) a *curis agendis* remotis, munus explorandi solis curiosis a Constantio traditum. Quod tamen non diu valuisse, ex multis Symmachi locis (X, 4. 38. 44.) necnon ex l. 31 de episcopis patet, ubi stationarii seu apparitores hoc munus obire dicuntur; quin, curiosis omnino post tempora Juliani *legibus* saltem *abrogatum* fuit *jus curarum* (munus explorandi reosque deferendi). 23 Ita et rei *sub elogio* (quo nomen et crimen eorum indicabantur) ad judices mittebantur, vide Gothofr. ad l. ult. de naviculariis, l. 1 de curios., l. 31 de

cuntur *citra solennia* accusare . Jam vero cum curiosi æque ac stationarii reos indagare tenerentur, immo, quum, apparitoribus (stationariis) ab eo munere remotis, ex jussu Constantii[25] curiosi soli id munus per aliquod tempus obirent, non dubito, quin et curiosi *non solenni* ratione seu conditione i. e. sine inscriptione, quum ea in usu esset, accusarint. Constantius iis calumniantibus poenam quidem minatur[26], sed non ideo eandem ac reo. Quid poenæ iis omnino ab eo principe metuendum erat, qui l. 4ta de cur. iis inculcat: "nihil ex his, quæ geri in republica videritis, principis vestri notitiæ subtrahatis, scientes poenis eum debitis subjugari, qui tantum facinus ausus fuerit perpetrare".

Observandum tamen hoc loco, a scriptoribus istius ævi interdum agentium in r. mentionem fieri, qui eadem ac alii conditione accusarint.

---

episcopis. Symm. epist. X, 4. 38. 44. [24] Lege 7ma de accus. et inscript. cod Iust. hæc dicuntur: "ea quidem, quæ per *officium* præsidibus denuntiantur et *citra solennia* accusationum posse perpendi, non incognitum est". Officium vero magistratuum *apparitores* eorum efficiunt, quos hoc contextu eosdem esse ac stationarios, ostendit lex 31ma de episcopis, ubi "apparitores, quos vulgo *stationarios* apellant", deferre jubentur, qui ecclesiis christianis vim intulerint. [25] l. 2da de curiosis. [26] l. 1ma eo tit.

Ita Symmachus, tunc temporis præf. urbis, in epistola ad Valentinianum, Theodosium et Arcadium data[27], hæc scribit: "quid habeat conditionis inscriptio, nostis præ ceteris, juris publici conditores. — Provisum est enim, ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, nî se idem prius poenæ sponsione vinciret". Hæc præfatus narrat, duos viros clarissimos ab agente in r. Africano de vi fuisse postulatos, eum vero causam suam obtinere non potuisse. Pergit deinde: "supererat, ut formidata reis poena, crimine non probato, in accusatorem transiret". Non dicam, hoc loco agentem in r., non curiosum, memorari, qui licet ad eandem scholam pertinerent, solis tamen curiosis munus reos deferendi injunctum fuit. Sed, ut infra videbimus, post tempora Juliani curiosis munus illud haud dubie abrogatum fuit, quo facto, hanc quoque in accusando prærogativam amittere debuerunt. Nihilominus tamen calumniæ poenam rarissime iis inflictam fuisse puto, quum judices, ob principum erga eos favorem militiamque eorum palatinam, causam plerumque ad aulam rejecisse videantur. Ita et Symmachus judicium de isto Africano "clementibus reservavit".

Alterum vero crimen, cujus inprimis hæc schola arguitur, *avaritia* est; nec id quidem mi-

---

27 X, ult.

rum, quum in munere obeundo amplissimam rapiendi facultatem haberent. Cum enim iis semper fere res esset cnm provincialibus, (qui judicio eos persequi non facile possent), et commoda præterea nonnulla jure ab iis perciperent[28], rapacitati eorum via facile pandi potuit. Quæstuosam militiam eorum fuisse etiam Libanius et cod. Theod. passim testantur. Ille enim narrat, multos adolescentes, philosophico pallio deposito, cingulum[29] agentium in r. cupide induisse. In orat. vero fun. in mortem Juliani[30] in usu fuisse dicit, ut multi, cum curiæ et reipublicæ muneribus sese subduxissent, inter agentes in r. relati, munus emerent curiosorum. Nec dubito, quin lucrum, quod inde confici posset, in causa fuerit, cur apparitores præf. præt. et vicarii jus curarum (curiosi munus) sibi vindicarent[31].

Cum in eo jam sim, ut quæ ad istos homines depravandos contulerint, exponam, silentio præterire non possum *fori prærogativam s. præscriptionem*[32], qua dum gaudebant ad magi-

---

28 ed Reiske 3, 438. 29 Cingulum de omni civili et militari dignitate dictum putat Gothofred. p. 163, tom. 1. cod Theod.; inprimis vero de militibus et palatinis, qui etiam militare dicuntur, hæc vox usurpata. 30 p. 1, 567. 31 l. 2da de curiosis et l. una: "Ne præfectianns" etc. tom. 4, 606. cod. Th. 32 cf. Paratitl. ad Agentes in

strum officiorum provocabant, non solum quum in aula, sed etiam quum in provinciis versarentur, rejectis et solennibus judicibus et ipso præf. præt. Quomodo vero hac prærogativa ad scelera committenda eorumque poenam effugiendam abuti potuerint, facile intelligitur, quum in provinciis plerumque munus suum obirent, provincialibus vero perquam difficile esset judicio eos persequi, si coram magistro officiorum accusandi essent. Quod et vere factum esse, clarissime docent illæ leges, quibus principes, querelis haud dubie assiduis de hac re fatigati, hanc prærogativam iis, in provinciis saltem versantibus, adimere coacti sunt. Ita præfectis præt. a Constantio[33], a Theodosio jun.[34] non solum præf. præt., sed et ceteris judicibus potestas agentes in r. puniendi committitur. A Zenone constitutum[35], ut ducenarii et centenarii, quum Constantinopoli degerent, vel in provinciis injunctum ipsis negotium curarent, hac prærogati-

---

r. cod. Th., Gothofr. ad l. 3tiam de jurisdictione, necnon leges jam afferendas. De fori omnino prærogativa et qui ea usi fuerint, vide Gothofr. ad l. 2dam de reis exhibendis. Magistro vero offic. nunc ademta nunc reddita potestas agentes in r. discingendi v. l. 17 et 18 de ag. in r. [33] l. 3 de jurisd. et l. 3 de curios. [34] Nov. Theod. 14, 1. 2. [35] l. ult. de ag. in r. Cod. Iust.

va gauderent. Ex contextu vero illius legis patet, omnes agentes in r. ante Zenonem (fortasse post legem illam a Theodosio latam) ordinariis judicibus fuisse subjectos. Non multum tamen illas leges valuisse, ex eadem re toties inculcata concludo; nec probabile est, magistratus potestatem sibi commissam frequenter usurpasse, quum metuendum ipsis esset, ne principes offenderent. Quod et Symmachi supra cit. epistola confirmatum videmus, qua judicium de Africano, agente in r., ad aulam rejecit. Judicium igitur de hac schola plerumque ad principes rediisse videmus; num vero alii Caracallam in hac re secuti sint, ignoramus, qui scilicet, Dione autore[36], speculatores s. frumentarios (quo facilius, quæcunque ipsis mandata essent, exsequerentur) a se modo judicari voluit.

Cum igitur favore principis impunitatem scelerum sperare, et magnum quæstum facere possent, non mirum, si abjectissimi et obscurissimi quique velut ad asylum quoddam ad scholam agentium in r. convolarunt[37]. Notantur vero ubique curiosi multo magis quam proprii agentes in r., quod ex locis infra appositis patebit. Nonnulla enim ex scriptoribus et legibus illius ævi desumta afferre volui, ut vividiorem hujus rei imaginem lectoribus ante ocu-

---

36 Reimar. p. 1303. 37 l. 18 de ag. in r., jam antea cit.

los sisterem, et ex parte aliqua miserum illum statum, in quo isto tempore respublica Romana versata est, illustrarem.

Quæ Dio Cassius, Aurelius Victor, scriptoresque historiæ Augustæ de frumentariis tradunt, non discrepant ab iis, quæ ab Am. Marcellino, Libanio et cod. Theod. de agentibus in r. memoriæ prodita sunt. Ita Dio[38] ægre tulisse homines dicit, quod Macrinus I. Vulpium et I. Nestorem præfectos fecisset, quum infames essent, quod inter tabellarios publicos relati, Caracallæ, nefarie omnia exploranti, ministrassent. Aurel. Victor de Diocletiano[39]: "remoto", inquit, "pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes in r. simillimi sunt, qui — compositis nefarie criminationibus, injecto passim metu, cuncta foede diripiebant.".

De agentibus in r. passim loquitur Ammianus, qui, etsi lingua latina non bene usus est, princeps tamen illius temporis historiæ scriptor haberi debet. Ad rem nostram facit, quod de convivio a Pannoniæ rectore instituto narrat[40]; nonnullos scilicet, "amplioribus madefactos poculis", Constantii imperium graviter per-

---

[38] Reim. p. 1323. *διὰ τὸ πολλὰ αὐτῷ τῶν ἀγγελιαφόρων σφᾶς ἡγεμένες πρὸς τὰς ἀνοσίες πολυπραγμοσύνας ὑπηρετῆσαι* Vox vero "*πολυπραγμοσύνη*" optime studium ejus omnia explorandi significat. [39] c. 39. [40] c. 15, 3, 8.

strinxisse, Gaudentium vero, agentem in r.[41], statim id ad Rufinum, principem apparitorum præf. præt.[42], detulisse. Alibi[43] vero, quum nonnulli ex hac schola in consistorium principis ad mercedem accipiendam essent introducti, tam cupide id egisse dicuntur, ut Julianus, ira commotus, clamaret: "rapere, non accipere sciunt agentes in r.". Idem quoque narrat[44] duo agentes in r. Julianum adiisse, eique Florentii[45] latebras se monstraturos promisisse, eos vero vehementer increpatos delatoresque ab eo appellatos fuisse.

Graviter vero inprimis Libanius in eos invehitur, in cujus oratione funebri in mortem Juliani[46] locus classicus de hac re reperitur. Postquam enim narravit, tonsores, coquos, eunuchos, aliosque ejusmodi homines a Juliano palatio esse ejectos, laudat eum quoque, quod

---

41 Ita legendum pro *magnis in rebus* "recte observatum est, quum 16, 8, 3., ubi hanc rem iterum tangit, Gaudentium agentem in r. appellet. 42 Cornicularium puta, qui a Lydo de magistr. Rom. 3, 22 τὴν ὅλην συνέχειν τάξιν dicitur; τάξις vero h. loco officium præf. præt. 43 16, 5, 11. 44 22, 7, 5. 45 Florentius ille Galliæ præf. præt. fuit, inimicus Juliani, ad Constantium confugit, præf. præt. Illyrici factus, et post mortem Constantii Juliani iram fuga evitavit. 46 1, 567—70 Nonnulla omissa sunt, quæ ad rem minus facerent, nec omnia ad verbum translata sunt.

scholam agentium in r. sustulerit. "Tertiam deinde palatio eliminavit catervam maleficorum, ministrorum furantium, expilantium et nihil non lucri causa dicentium et facientium, qui, quum patriam officiis suis fraudassent, et curiæ publicisque muneribus se subduxissent, inter agentes in r. relati, curiosorum munus emebant, curam sese agere simulantes, ne imperator ignoraret, quæ contra ipsum struerentur. Artifices, quasi imperio convicíantes, poenarum minis terrebant, non ut vere eas luerent, sed ut ab iis luendis pecunia se redimerent. Nemo extra telorum jactum fuit, nec civis, nec inquilinus, nec peregrinus. Et innocens, nî pecuniam dedisset, peribat, calumnia circumventus, et perditissimus quisque, pecunia iis corruptis, servabatur. Maximo vero lucro iis fuit majestatis aliquod crimen deprehendere. Cum enim imperatori, quem deprehendissent, puniendum tradere deberent, non eum, a quo munus ipsis commissum erat, sed insidiantes, ut lucrum facerent, adjuvabant. Hominibus sobriis formosos submiserunt juvenes, ut metum infamiæ eis incuterent, magiæ crimine innocentibus intentato, unde quum quæstum ingentem faciebant, tum inde inprimis, quod pro licentiâ iis, qui nummos adulterinos cudere audent, concessa, pecuniam accipiebant. Isti igitur homines, imperatoris oculi, qui omnia in lucem a se proferri, perversosque ad meliorem frugem, dum iis latere

non liceret, perduci dixerunt, omnibus sceleribus viam panderunt, eaque impune fieri posse, tantum non publice promulgarunt, ita ut, quibus maleficia coercenda essent, maleficos servarent, non secus ac canes, qui societatem cum lupis ineunt. Unde factum, ut, qui hæc metalla exerceret, thesaurum invenisse dici posset. Qui enim Irus venit, Callias brevi evasit[47]. Cum igitur urbes certatim ab iis exhaustæ ad paupertatem redigerentur, isti vero homines divitias corraderent, imperator noster (Iulianus), jam dudum indignatione harum rerum commotus, totam eorum scholam disjecit, et nomine et ordine militiæ iis ablato. (Servis[48]) suis deinde ad litteras perferendas usus est, ista patrandi licentia sublata, et ita demum urbes in libertatem vindicatæ sunt. Instantibus enim, qui ista faciendi potestatem haberent, respirare omnino non potuerunt. Alter enim petebatur, alter, ne peteretur, timebat, et qui nil passi essent, ii metu malorum æque ac malis ipsis afficiebantur." Memorat deinde, equos cursui publico destinatos ita a curiosis, pabulo subtracto, fuisse vexatos, ut plus viginti ad currum trahendum requirerentur.

---

[47] Ex contextu facile vis proverbii perspicitur.

[48] In textu: τοῖς αὑτȣ̃ χρώμενος — Reiske subintelligit οἰκέταις vel ὀχήμασι; quam absurdum sit hoc posterius, ex iis, quæ sequuntur, facile patet.